AUTHOR:

HEILMANN, KARL

TITLE:

QUIBUS AUCTORIBUS...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1885

Master Negative #
92-81127-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88St7
DZ8
v.3

Heilmann, Karl, 1857-
Quibus auctoribus Strabo usus sit in describenda ora Maris Pontici a Byzantio usque ad Tanain; dissertatio inauguralis quam ... scripsit Carolus Heilmann ... Halis Saxonum, typis Orphanotrophei, 1885.
30 p. 21½ cm.

Thesis, Halle.



Volume of pamphlets

142184

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-2-93
INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







QUIBUS AUCTORIBUS STRABO USUS SIT IN DESCRIBENDA ORA MARIS PONTICI A BYZANTIO USQUE AD TANAIN.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HEILMANN

BORUSSO-HASSUS.

HALIS SAXONUM
TYPIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLXXXV.

PATRI OPTIMO SACRUM.

Maxima operis geographici Strabonis parte consentaneum est contineri descriptionem Europae. In qua postquam occidentis solis terras, Hispaniam, Galliam, Italiam et insulas prope sitas depinxit, initio septimi libri se vertit ad describendas terras ad septentrionis et aquilonis partes spectantes, quas inter Rhenum et Tanain et ad utramque Istri ripam sitas esse dicit. Ipsa descriptio initium capit ab ea parte Germaniae, quae est inter Rhenum et Albim, deinde commemorantur Cimbri aliaeque gentes et Germanicae et alius originis, tum scriptor in tertio capite aggreditur ad oram occidentalem maris Pontici et gentes in ea habitantes describendas.

Etiam aetate satis recenti[1] Graeci remotarum illarum regionum ad aquilonis partes spectantium, quae quidem procul ab ora sitae erant, cognitionem parum accuratam habebant, atque quae de iis narrabantur, fabulae erant. Quam ob causam Strabo diligentius quibus fontibus sibi sit utendum, quaerit atque in altera demum paragrapho eos sequitur auctores, quos fide dignos esse iudicat. In his nominatur Posidonius, quo paullo ante[2] scriptor item usus est. Laudat eum sane media demum paragrapho, sed proclivis est coniectura, eum etiam initium paragraphi ex eodem fonte hausisse. Quod verum esse maxime apparet ex eo loco, quo Strabo tractat quaestionem, quae est de

---

1) Polybius III, 37. 38. — Strabo I, 2. 1. C. 14.

2) Posidonius apud Strabonem VII, 2, 1. 2. C. 293. cf. Mueller fragm. Historicorum Graecorum III, p. 284.

Mysis. Mysi in Asia habitantes a Thracibus originem ducere putabantur;[1] Moesi, de quibus hic ut de eadem gente sermo est, sero demum omnino innotuerunt. Cum Romani arma ferre coepissent in regiones illas remotissimas, tum demum aliqua eorum notitia pervenit ad Graecos Romanosque.[2] M. Lucullus anno 74 urbes Graecas in ora Ponti sitas usque ad Istrum imperio Romanorum subiecerat et, dum frater eius rem gerit contra Mithradatem, usque ad Tanain atque Maeotidem progressus est. Etiam Moesorum gentem expeditione facta subegerat. Haec tradit Appianus,[3] addens, se in libris scriptorum praeterea nihil invenisse[4] de expeditionibus contra Moesos susceptis eo quidem tempore, cum libera fuit res publica Romana. Tum igitur primum innotuerunt Moesi obtinuitque opinio, eos esse Thraces.[5] Atque hos quidem Moesos quin statuat eosdem esse ac Mysos Homericos, qui initio in utraque Istri[6] ripa sedes habuerant, Posidonius facere non posse sibi videtur.

---

1) XII, 3, 3. C. 541 s. *εἴρηται δ' ὅτι καὶ αὐτοὶ οἱ Μυσοὶ Θρᾳκῶν ἄποικοί εἰσι τῶν νῦν λεγομένων Μοισῶν.* XII, 8, 3 C. 572 *ὅτι τοὺς Μυσοὺς οἱ μὲν Θρᾷκας, οἱ δὲ Λυδοὺς εἰρήκασιν.*

2) I, 2. C. 14 *ὁ μὲν* (sc. *Ἀλέξανδρος) τῆς Ἀσίας πολλὴν ἀνεκάλυψεν ἡμῖν ... οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τὰ ἑσπέρια τῆς Εὐρώπης ... τά τε πέραν Ἴστρου τὰ μέχρι Τύρα ποταμοῦ.*

3) Appian. de rebus Illyr. C. 30. *Μυσοὺς δὲ Μᾶρκος μὲν Λεύκολλος, ὁ ἀδελφὸς Λικινίου Λευκόλλου τοῦ Μιθριδάτῃ πολεμήσαντος, κατέδραμε, καὶ ἐς τὸν ποταμὸν ἐμβαλών, ἔνθα εἰσίν Ἑλληνίδες ἓξ πόλεις Μυσοῖς πάροικοι,* ... cf. Strabon. VII, 6. C. 319.

4) Appian. l. c. *καὶ πλεῖον οὐδὲν ηὗρον ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων δημοκρατίας ἐς Μυσοὺς γενόμενον, οὐδ' ἐς φόρον ὑπαχθέντας οὐδ' ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ ὑπήχθησαν ὑπὸ Τιβερίου τοῦ μετὰ τὸν Σεβαστὸν τοῖς Ῥωμαίοις αὐτοκράτορος γενομένου.*

5) XII, 3, 3. C. 541 s. cf. p. 5 n. 2.

6) XII, 3, 26. C. 553 *οὐδ' ἂν Θρᾳκῶν τε καὶ Μυσῶν μνησθεὶς τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ αὐτὸν παρεσίγησεν.*

Quae Strabo in libro duodecimo[1] de Moesis affert, repetuntur ex verbis Posidonii, quae hoc loco exscribuntur.

Iam constat in hac paragrapho praecipuum Strabonis fontem esse Posidonium; quaeritur tamen etiam nunc, utrum o m n i a hauserit ex illo. Qua in quaestione tractanda proficimus ex comparatione locorum Strabonianorum, qui similiter sunt comparati; unde fit perspicuum, scriptorem quaedam aut aliunde petivisse aut de suo addidisse. Inseruit enim Strabo commentationi, quae est de Mysis in par. 2, notas nonnullas breves de aliis gentibus, quas accuratius tractat in libro duodecimo;[2] hic exponit, ab Homero Mariandynos, Bebryces, Bithynos, Thynos non commemorari,[3] quod ex Apollodoro petitum esse apparet ex loco libri XIV.[4] Apollodorus igitur grammaticus praeter Posidonium in paragrapho nostra usui fuit Straboni. Illum enim in commentario catalogi navium copiose de omnibus his gentibus disputavisse ipse Strabo dicit.[5] Bryges vero et Phryges et Mysos Apollodorus tradit omnes eiusdem esse stirpis, atque hoc ex eo recepit Strabo in paragraphum 2.[6]

Praeterea in textu verborum Posidonii exstat additamentum, quod de suo fecit Strabo, atque a sententiis aliunde petitis ipsa

---

1) XII, 3, 3. C. 541 s.

2) XII, 3, 20. C. 550 s.

3) XII, 3, 27. C. 554. *Μαριανδυνοὺς δ' οὔ, οὐδὲ Θυνοὺς οὐδὲ Βιθυνοὺς οὐδὲ Βέβρυκας.* cf. adnot. 2. — XIV, 5, 23. C. 578 *Βιθυνοὺς καὶ Μαριανδυνοὺς ... μηδ' ὠνομάσθαι ... καὶ Βέβρυκες Φρυξί.*

4) Secundum XII, 3, 27. C. 554 ipsius Strabonis sententia, secundum XIV, 5, 23. C. 678 ab Apollodoro petita.

5) XVI, 4, 26. C. 679 *Ἀπολλόδωρος δὲ τούτων μὲν ἐφρόντισεν οὐδὲν, τοῖς δὲ ἑκκαίδεκα ἔθνεσι προςτίθησιν ἑπτακαιδέκατον, τὸ τῶν Γαλατῶν.*

6) Apollodor. ap. Strab. XII, 3, 20. C. 550 *ὁμοίως δὲ καὶ Βροῦγοι καὶ Βρύγες (Βρίγες) καὶ Φρύγες οἱ αὐτοί, καὶ Μυσοὶ καὶ Μέρονες καὶ Μαίονες καὶ Μῄονες.*

verborum specie satis clare discernitur, nempe verba *δοκῶ δὲ καὶ τοὺς Μαριανδυνούς*. Quod ita se habere confirmatur argumento, ut ita dicam intestino: In libro XII.[1] scriptor ipse se de origine, natione, sermone huius gentis in fontibus nihil invenisse dicit; hinc facile explicatur, quod ipse conicit,[2] etiam Mariandynos esse Thraces.

Praeter haec verba et additamentum illud ex Apollodoro petitum totam paragraphum Posidonii esse, quem ipse laudat in media paragrapho, statuendum nobis est.[3] Unus tamen restat locus, cuius de auctore dubitatio moveri possit: facere enim vix possumus, quin, legentes illud *νῦν*[4] in enuntiato postremo coniciamus primo, haec verba ipsa quoque ab ipso profecta esse Strabone. Quae coniectura quodammodo eo confirmatur, quod scimus, Strabonem illarum regionum notitiam habere non modo ex Posidonio, verum etiam ex sua ipsius percontatione.[5] Tamen coniecturam nostram veram non esse atque haec quoque verba Posidonio tribuenda esse apparebit, si comparaverimus locum quendam Posidonii[6] in libro septimo a Strabone allatum. Utroque enim loco non modo eaedem gentes, Boii, Scordisci, Teurisci eodem ordine enumerantur, sed congruentia tanta est, ut et hic et illic addatur, alterum Tauriscorum nomen exstare, nempe Tauristarum.

Iam ad eum finem pervenimus, ut dicamus, hanc paragraphum a Strabone petitam esse ex Posidonio, unam tamen

1) XII, 3, 4. C. 542 *τίνες δὲ καὶ πόθεν οὐδενὶ εἴρηται, οὐδὲ διάλεκτος.*

2) XII, 3, 4. C. 542 *ἔοικεν οὖν καὶ τοῦτο Θρᾴκιον ὑπάρξαι τὸ φῦλον.*

3) cf. Mueller fragm. hist. Graec. III, p. 290 s. cf. etiam Strab. § 4 et § 7.

4) cf. Strabon. VII, 3, 11. C. 303 *νῦν* hic spectat ad ipsius Strabonis aetatem.

5) Strabo VII, 3, 4. C. 297 extr. et saepius.

6) Posidonius ap. Strab. VII, 2, 2. C. 293.

Apollodori sententiam et unum ipsius Strabonis additamentum textui inserta esse.

Insequenti paragrapho sine ullo additamento exponitur, quid Posidonius de Mysis tradiderit. Praeter alia narratur, Thraces nonnullos, qui sine mulieribus vivere consueverint, sanctos haberi et inviolabiles; deinde exponit Posidonius, ab Homero propterea Thraces *ἀβίους* appellari, quod sine mulieribus vivere soleant; denique in tertio decimo Homeri[1] carmine legendum esse censet „Moesorum cominus pugnantium“ pro „Mysorum cominus pugnantium.“ Hanc Thracum descriptionem et Homeri verborum interpretationem recte se habere Strabo concedere nequit. Quod vero hoc loco dissentit a Posidonio, cavendum est, ne ita accipiamus, ut putemus, Strabonem omnino non probare rationem, quam in libro suo conscribendo secutus est Posidonius, quem, ut Strabonem, Stoicorum philosophiae addictum fuisse constat; ab Alexandrinorum vero ratione et, ut ita dicam, principiis Strabonem omnino abhorrere notum est.

Atque primum quidem Strabo mutationem lectionis in verbis Homericis sibi non probabilem videri dicit; ipse verisimile esse putat, prioribus temporibus illi genti fuisse Mysorum nomen, hoc vero nomen postea mutatum esse in Moesorum. Deinde Posidonium parum recte interpretatum esse vocem Homericam *ἄβιοι* contendit. Exponit, hanc significationem statui non posse, quod constet, singulos Thraces plures feminas habere solitos esse. Quod verum esse ut demonstret, affert duos Menandri locos, cuius comoedias ei bene notas fuisse inde apparet, quod saepe ab eo laudantur,[2] et quod narrat,[3] Menandrum una cum Epicuro ephebum fuisse Athenis. In duobus, quos hoc loco affert Strabo ver-

1) Hom. Il. 13, 5.

2) Strabo X, 2, 8. C. 452; X, 5, 6. C. 486; VII, 3, 12. C. 304; XIV, 1, 15. C. 637.

3) Strabo XIV, 1, 18. C. 638.

sibus Menandri legimus,[1] re vera singulos Thraces plures habuisse feminas eosque immodice deditos fuisse Veneri. Idem constare etiam aliis testimoniis ipse Strabo dicit,[2] atque etiam nunc possumus afferre duos testes fide dignos: Herodotus[3] enim et Heraclides Ponticus[4] tradunt, apud Thraces moris fuisse, ut singuli plures haberent mulieres atque etiam reliqua, quae hac cum re coniuncta sunt, ita se habere, ut a Strabone exponitur.

Quod denique Posidonius contenderat, caelibes apud Thraces haberi pios erga deos, ei obicit Strabo, pietatem originem ducere ab ipsis feminis, quae viros ad precandum et cibo abstinendum impellant. Hoc quoque ad confirmandum laudat duos Menandri locos.[5] — Omnia haec, quae contra Posidonium disputat Strabo, ex ipsius ingenio profecta esse maxime est probabile.

Verbis extremis paragraphi 4 nos traduci ad ea quae sequuntur, facile cognoscimus. Nominantur enim duo fontes, *Ποσειδώνιος καὶ ἄλλη ἱστορία*, unde paragraphum insequentem petitam esse apparet. Atque re vera in hac paragrapho facile dignoscuntur duae partes, quarum in priore Strabo ea exponit, quae Posidonius tradidit de Zamolxi, in posteriore ea addit, quae ipse percontatione accepit.

Primus Zamolxin commemorat Herodotus,[6] qui tradit, Getas unum tantum deum colere,[7] Zamolxin, quem nonnulli Gebeleizem

1) Meineke Fragm. com. Graec. IV, p. 232, VIII, a. b. (1841).

2) Strabo VII, 3, 4. C. 297.

3) Herodot V, 5, 6.

4) Heraclides Ponticus de rebus publ. cf. Mueller fragm. hist. Graec. II, p. 220.

5) Prior locus *ἐπιτρίβουσι .... ἀνάγκη* an itidem e Misogyne ductus sit, dubitari potest. Meineke fragm. com. Graec. IV, p. 165 s. (1841) adnot.

6) Herod. 4, 94.

7) Herod. 4, 94 *οὐδένα ἄλλον θεὸν νομίζοντες εἶναι εἰ μὴ τὸν σφέτερον.*

esse putent.[1] Getae credebant,[2] animos suos post mortem ad illum venturos esse, atque hoc erat praecipuum in religione eorum, quod animum immortalem esse confidebant.

Mirandum non est, quod Graeci, qui in ora Ponti habitabant, ad eam cogitationem pervenerunt, ut putarent, hanc religionem nihil esse, nisi doctrinam Pythagorae, qui animos immortales esse et per corpora migrare docebat. Item facile explicatur, quod sua sponte opinio in iis nascebatur, illam doctrinam ex ipsa Graecia translatam esse ad rudes illas gentes. Quod cum sibi finxissent et crederent, Graeci Pontici fabulam excogitaverunt,[3] qua quomodo illa doctrina ad illos pervenisset, exponerent.

Secundum hanc fabulam Zamolxis fuit Sami servus Pythagorae, qui, cum eius doctrinam penitus cognovisset, in patriam reversus eam cum popularibus suis communicaverat. Totam narrationem, qualem Herodotus a Graecis Ponticis accepit, nihil fere esse, nisi simplicem eorum coniecturam facile apparet. Quod si quis negare vellet, statuendum ei esset, Zamolxin Graecis aperuisse, cur occultus in caverna subterranea habitavisset, qua re populares deceperat,[4] ut iis animum immortalem esse persuaderet. Ipse Herodotus[5] anceps haeret hac de re; neque vult

1) Herod. 4, 94 *οἱ δὲ αὐτῶν τὸν αὐτὸν τοῦτον νομίζουσι Γεβελέϊζιν.*

2) Herod. l. c. *Ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον οὔτε ἀποθνήσκειν ἑαυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι δὲ τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάμολξιν δαίμονα.*

3) Herod. 4, 95 *ὡς δὲ ἐγὼ πυνθάνομαι τῶν τὸν Ἑλλήσποντον οἰκεόντων Ἑλλήνων καὶ Πόντον, τὸν Ζάμολξιν τοῦτον ἐόντα ἄνθρωπον δουλεῦσαι ἐν Σάμῳ, δουλεύσαι δὲ Πυθαγόρῃ τῷ Μνησάρχου. ἐνθεῦτεν δὲ αὐτὸν γενόμενον ἐλεύθερον χρήματα κτήσασθαι συχνά. κτησάμενον δὲ, ἀπελθεῖν ἐς τὴν ἑαυτοῦ, ἅτε δὲ κακοβίων τε ἐόντων τῶν Θρηΐκων καὶ ὑπαφρονεστέρων, τὸν Ζάμολξιν τοῦτον* etc. Idem testantur Hellanicus et lexicographi eum sequentes Hesychius, Suidas, Photius, Eudocia v. Zamolxis.

4) cf. Herod. 4, 95.

5) Herod. 4, 96 *Ἐγὼ δέ περὶ μὲν τούτου καὶ τοῦ καταγαίου οἰκήματος οὔτε ἀπιστέω, οὔτε ὦν πιστεύω τι λίην.*

reicere totam narrationem, neque ut eam prorsus veram esse credat a se impetrare potest. Postremo confitetur,[1] sibi Zamolxin multo ante Pythagoram vixisse videri. Neque vero diiudicare audet, utrum Zamolxis homo an deus indigena apud Thraces fuerit.[2]

Strabo[3] contra stat a parte Graecorum Ponticorum atque etiam Zamolxin, servum Pythagorae, longa itinera usque in Aegyptum[4] facientem et quarum rerum in his notitiam sibi comparavit, popularibus tradentem fingit. Hic igitur Zamolxis est magister Thracum, multarum magnarumque rerum peritus. Atque eandem de eo opinionem invenimus iam apud Platonem.[5] Socrates enim, postquam in exercitu Potidaeam obsidente stipendia fecit, Athenas reversus in dialogo, cui Charmides inscribitur, narrat, se in castris a Thrace quodam ex numero medicorum Zamolxis, qui homines immortales reddere posse dicantur, carmen didicisse, quo morbi pellantur. Sive haec narratio est vera, sive a Socrate ficta, id certum est, iam hoc loco, ut apud Strabonem, ita sermonem esse de Zamolxi, ut eum magistrum Thracum fuisse statuatur. Cum hac de Zamolxi opinione congruit Diodorus Siculus,[6] qui etiam propius ad Strabonis sententiam accedit, statuens Zamolxin apud Thraces simi-

---

1) Herod. l. c. *δοκέω δὲ πολλοῖσι ἔτεσι πρότερον τὸν Ζάμολξιν τοῦτον γενέσθαι Πυθαγόρεω.*

2) Her. l. c. *Εἴτε δὲ ἐγένετό τις Ζάμολξις ἄνθρωπος, εἴτ' ἐστὶ δαίμων τις Γέτῃσιν οὗτος ἐπιχώριος, χαιρέτω.*

3) VII, 3, 5. C. 297 *τὰ δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίων πλανηθέντα καὶ μέχρι δεῦρο.*

4) Strabon. l. c.

5) Plato Charmides 9, 13.

6) Diod. Sic. I, 94. *παρὰ μὲν γὰρ τοῖς Ἀριανοῖς Ζαθραύστην ἱστοροῦσι τὸν ἀγαθὸν δαίμονα προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι, παρὰ δὲ τοῖς ὀνομαζομένοις Γέταις τοῖς ἀπαθανατίζουσι Ζάμολξιν ὡσαύτως τὴν κοινὴν Ἑστίαν, παρὰ δὲ τοῖς Ιουδαίοις Μωυσῆν τὸν Ιαὼ ἐπικαλούμενον θεόν.*

lem obtinuisse locum atque Mosem apud Iudaeos. Plane idem enim indicat Strabo, narrans, Zamolxin, cum Thracibus omina interpretatus sit, hanc ob causam magna auctoritate floruisse et apud principes et apud populum, atque sacerdotem factum esse dei maxime a Getis culti. Idem, ut Zamolxin legum latorem fuisse statuatur, invenimus apud Porphyrium,[1] qui omnia cultus religionisque instituta apud Thraces ab eo profecta esse contendit. Ut Strabo, sic etiam Porphyrius narrat, Zamolxin complura de astronomia praecepta popularibus suis tradidisse. Atque Antonius Diogenes, cuius libro fonte utitur Porphyrius,[2] tradit,[3] socium Zamolxis, Astraeum, apud Getas magna auctoritate floruisse. Quae si comparamus proclive est conicere, illo nomine Astraei significari nihil nisi notitiam caeli et siderum.

Iis quae narrat Strabo, supplentur quodammodo ea, quae tradit Herodotus et quae excogitata erant a Graecis Ponticis. Mirum vero est, quod Strabo mentionem non facit immortalitatis animi, quam Zamolxis Getas docuisse fertur, eo magis mirum, quod epitheton ab Herodoto usurpatum „*τοὺς ἀπαθανατίζοντας*“ paene cognomen Thracum factum erat,[4] et hac doctrina Zamolxin optime meritum esse de Thracibus omnes fere consentiunt. Quae res necessitudinem quandam habet cum altera, nempe quod Strabo narrationem de caverna subterranea, in qua versatus sit Zamolxis, plane aliter intelligit atque Herodotus et reliqui scriptores. Id quoque, Zamolxin regi Thracum persuasisse, ut imperium secum

---

1) Porphyrius vit. Pyth. ed. Kiessling T. II, p. 26. 28: *Ἦν δ' αὐτοῦ καὶ ἕτερον μειράκιον, ὃ ἐκ Θρᾴκης ἐκτήσατο, ᾧ Ζάμολξις ἦν ὄνομα … ἀγαπῶν δὲ αὐτὸν ὁ Πυθαγόρας, τὴν μετέωρον θεωρίαν ἐπαίδευσε, τά τε περὶ ἱερουργίας καὶ τὰς ἄλλας εἰς θεοὺς θρησκείας.*

2) cf. Erwin Rohde, der griechische Roman und seine Vorläufer. Leipz. 1876. p. 250 ss. et p. 253 adn. 2.

3) Diog. ap. Phot. cod. 166 p. 110 Bekk.

4) Diod. Sic. l. c.

partiretur, nusquam nisi apud Strabonem traditur. Denique, quod narrat Strabo et Jamblichus,[1] Thraces diversos coluisse deos congruere non videtur cum reliquis testimoniis. Sed si reputaverimus, quae fuerint Graecorum his de rebus opiniones, facile intelligemus, quomodo factum sit, ut etiam Thracibus diversorum deorum cultus tribueretur. Postremo Strabo addit, semper unum inventum esse apud Thraces virum, qualis erat Zamolxis, eumque regi semper adfuisse et regem consilio suo adiuvisse; Boerebistae aetate hoc officio functum esse Decaeneum.

His duobus viris regnantibus Dacorum regnum subito maxime florere coeperat, cum usque ad illud tempus vix nomen eorum innotuisset; quarto demum saeculo, cum in comoediis Menandri servorum personae saepe nominibus ,Daos' et ,Getes' significarentur,[2] nomen gentis in Graecorum notitiam pervenisse verisimile est. In libris rerum scriptorum[3] primum commemoratur hoc nomen anno 109, quo Daci et Scordisci a Minucio victi sunt. Apud Strabonem[4] sermo est de tempore, quo gens illa, uni regi subdita, intra paucos annos ad inauditam pervenerit potentiam, quo Boerebista et Decaeneus institutis novis et ad deorum cultum et ad res publicas pertinentibus totam nationem quasi denuo creaverint.

---

1) Jambl. v. Pyth. ed. Kiessling Lps. 1825, 8 p. 364. *Ζάμολξις γὰρ Θρᾷξ ὢν ... καὶ ταῦτα παιδεύσας τοὺς Γέτας καὶ γράψας αὐτοῖς τοὺς νόμους, μέγιστος τῶν θεῶν ἐστι παρ' αὐτοῖς.* — Strabon. VII, 3, 5. C. 297 *ἱερέα κατασταθῆναι τοῦ μάλιστα παρ' αὐτοῖς τιμωμένου θεοῦ.* Herod. 4, 94 *οὐδένα ἄλλον θεὸν νομίζοντες εἶναι εἰ μὴ τὸν σφέτερον.*

2) Strabo VII, 3, 12. C. 304.

3) Zippel, die römische Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus p. 213 ss. Lp. 1878.

4) VII, 3, 11. C. 303 s.

Hos autem viros floruisse tum, cum Romae Sulla erat dictator, tradit Jordanes,[1] qui duobus locis hac de re provocat ad testimonium Dionis Chrysostomi.[2] Ab hoc igitur,[3] quem has res ex Getarum narratione novisse probabile est, Sulla commemoratus erat. Nonnulla de florenti regni Dacorum statu et de expeditionibus eorum, quas suscipiebant ad fines proferendos et de tempore, quo haec acta sint, comperimus ex Borysthenica Dionis oratione. Ex hac, quam intra annos 90 et 96 habitam esse constat,[4] concludere nobis licet, expeditiones illas factas esse aetate Caesaris. Quis fuerit dux Dacorum in his expeditionibus, comperimus ex verbis Strabonis, nempe Boerebista, qui commemoratur in extremis § 5 verbis. Contra eum a Caesare expeditionem apparatam esse certiores nos facit Strabo. Regnante viro illo strenuo eiusque consiliario, Decaeneo, timendum erat, ne Daci Romanorum imperio damnum afferrent. Inde a Ponto paene usque ad mare Adriaticum fines eorum Romanos attingebant, atque exercitus Boerebistae ducentorum milium armatorum fuit. Caesar, cum bene intelligeret, quantum ab hac parte periculum Romanis immineret, non multo ante mortem consilium ceperat,

---

1) Jordanes de origine actibusque Getarum C. 11 dehinc regnante Gothis Burvista Diceneus venit in Gothiam, quo tempore Romanorum Sylla potitus est principatu.

2) Jordanes C. 5. 9.

3) cf. Teuffel, Gesch. der röm. Lit. IV. Aufl. Lpz. 1882. § 485, 3: Die gelehrten Citate bei Jordanus gehen auf Cassiodor oder dessen Quellen zurück. So die Erwähnung des Strabo, Josephus, der beiden Dio, nämlich des Cassius und des Chrysostomus, welche Cassiodor für identisch hielt. — cf. C. Schirren, De ratione quae inter Jordanem et Cassiodorium intercedat. (Fleckeisen J. 1862, Bd. 85).

4) Zippel l. c. p. 219; Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter den Römern 2, p. 187 s.

5) Strabo VII, 3, 13. C. 305.

ex Macedonia bellum suscipere contra Dacorum regnum potentissimum, sed hoc consilium abiecerat, ut videtur, quod in ipso Dacorum regno rerum mutatio tanta est facta, ut tum quidem non verisimile esset, Dacos imperio Romanorum pericula allaturos esse. In postremis § 11 verbis narrat Strabo, quomodo vitam finierit Boerebista. Priusquam Romani exercitum contra eum mitterent, regno pulsus erat. Duae res, quae a Strabone in verbis insequentibus commemorantur, particulis *καὶ δὴ* et *τότε δὲ* satis clare seiunguntur; illo *νῦν* significat scriptor suam ipsius aetatem, adverbio *τότε* illud tempus, quo regnum Dacorum dividebatur, quod factum est initio imperii Augusti, multo ante Lentuli expeditionem.

Si ea, quae adhuc disputata sunt, breviter comprehendimus, cum Zippelio statuendum nobis esse videmus, Strabonem expeditionem bellicam, cuius mentio fit in § 11, eandem esse putare atque de qua verba facit in § 5, h. e. eam, quam Caesar suscepturus erat et Boerebistam annis 49—44 maxima floruisse potentia, qua similiter atque paullo post magnus eius adversarius privatus est.

In § 6 Strabo redit ad disputationem de Mysis idque nunc, ut se vertat contra Apollodorum et Eratosthenem, quorum principia eum omnino non probare supra dictum est.[1]

Tota fere § 6 fragmentum est Apollodori, sumptum ex praefatione libri alterius commentarii, quo ille instruxit catalogum navium. Videmus ex hoc fragmento, auctorem in tractandis verbis Homeri plerumque sequi Eratosthenem. Quid ab hoc, quid ab illo profectum sit, cum aliqua probabilitate diiudicari vix poterit.

Exeunte § 6 et in § 7 exponit Strabo, quid ipse sentiat de iis, quae Apollodorus et Eratosthenes tradiderunt; reprehendit eos

1) cf. Berger, geogr. fragm. des Eratosthenes p. 29.

maxime propterea, quod in verbis Homeri tractandis, interpretandis, mutandis immodice versati sint.

Mirum vero est, quod Strabo tam sibi non constat, ut ea, quae hoc loco disputatione satis copiosa vituperat, altero loco[1] plane recte se habere confiteatur. In verbis eius duo fragmenta dignosci possunt, quae aut Eratostheni aut Apollodoro tribuenda sunt: *προὔθεντο μὲν γὰρ ... νεωτέρους* et *Σκυθῶν μὲν γὰρ μεμνῆσθαι ... γῆς ὄντας.*

Deinde Strabo in § 7 satis multis verbis refutat id, quod Apollodorus contendit, Homerum Scytharum nullam habuisse notitiam. Ut suam sententiam veram esse demonstret, primum affert testimonium Hesiodi in versu ab Eratosthene laudato.

Αἰθίοπάς τε Λίγυς τε ἰδὲ
Σκύθας ἱππημολγούς,

atque deinde Aeschyli locum, qui plane congruit cum illo testimonio:

ἀλλ' ἱππάκης βρωτῆρες εὔνομοι Σκύθαι.

Praeterea in verbis insequentibus etiam eam opinionem profert, quae vulgo de Scythis obtinebat apud Graecos, et in § 8 compluribus aliis testimoniis etiam magis confirmat, recte Scythas ab Homero descriptos esse.

In primis § 9 verbis Strabo affert novum testimonium petitum ex quarto libro operis historici, quod Ephorus conscripsit de Europa. Tota fere paragraphus est epitome partis illius operis Ephori, cuius verba hic, ut in reliquis locis, ubi Ephorus a Strabone laudatur, obliqua oratione afferuntur. In hac quoque parte Strabo Ephorum secrevit a reliquis scriptoribus, atque omnino testimonium illius solet afferre in fine disputationis. Extremis verbis Strabo Posidonii de Anacharsi narrationem veram

1) XII, 3, 26. C. 553 cf. I, 1, 6. C. 4.

esse se credere non posse confitetur et breviter comprehendit et repetit ea, quae demonstrare conatus est: Nunc tandem in § 10 redit ad Apollodorum, qui, si Scytharum notitiam Homero abroget, rationem reddere debeat, quid sentiat de Mysis a poeta commemoratis.

Sic Strabo compluribus paragraphis ostendit, Apollodori et Eratosthenis sententiam omnino nullo niti fundamento atque Homero Scythas bene notos fuisse. Contrarium vero scriptum nvenimus in libro XII,[1] ubi quae Strabo hoc loco satis copiosa disputatione falsa esse demonstrare conatus est, optimo iure ab Apollodoro statui concedit. Dicit enim, Homerum neque Scytharum neque Maeotidis neque Istri habuisse notitiam inde apparere, quod nulla eorum mentio exstet apud eum.

Paragrapho 11 Strabo redit, unde digressus erat; ad ipsam vero descriptionem topographicam occidentalis Ponti orae quinta decima demum paragrapho accedit. Initium capit ab ea parte, qua Ister in mare influit; inde septentrionem versus progreditur atque primum quidem describit oram, quae pertinet usque ad ostium Tyrae. Septem enumerat capita Istri, addens,[2] ab Ephoro quinque tantum afferri. Cum Ephoro consentiunt duo quos habemus peripli,[3] qui dicuntur; in quibus regio ubi Ister in mare influit, multo accuratius describitur quam apud Strabonem. Hic enim nomen affert eius tantum capitis, quod maxime spectat ad meridiem, cui nomen esse „sacri ostii" dicit,[4] illi vero singulorum capitum nomina enumerant et accurate adnotant, quantum

1) XII, 3, 26. C. 553. cf. I, 1, 6 C. 4. et supra p. 15.

2) VII, 3, 15. C. 305 *Ἔφορος δὲ πεντάστομον εἴρηκε τὸν Ἴστρον.* cf. Dionysii Periegesis v. 299 ss. ap. Mueller, Geographi Graeci minores II, p. 119.

3) Arriani Periplus Ponti Euxini ap. Mueller Geogr. Gr. min. I, p. 399. Anonymi Periplus Ponti Euxini ap. Mueller G. Gr. min. I, p. 419.

4) Anon. Peripl. Ponti Eux. l. l.

singula inter se distent.[1] Strabo ab eo capite, quod maxime spectat ad meridiem usque ad id, quod ab altera parte extremum est, viam esse trecentorum stadiorum tradit, cum singulorum in periplis intervallorum[2] summa sit ducentorum octoginta stadiorum. Strabonis descriptionem hic parum esse accuratam ea quoque docent, quae sequuntur. Dicit, ostia Istri et Tyrae distare nongenta stadia, omittit vero adnotare, a quo loco orae illius per trecenta stadia pertinentis in hac computatione initium ceperit. Admodum verisimile est, eum initium capere a media ora, quae continet Istri capita, h. e. centum et quinquaginta stadia ad meridiem versus a capite Istri, quod vocatur *ψιλὸν στόμα*.[3] Hinc enim auctor peripli, cuius nomen ignoramus, tradit, viam esse septingentorum et quinquaginta stadiorum usque ad turrim Neoptolemi, quae vocatur, atque ab hac turri usque ad Tyrae ostium centum et viginti stadiorum. Strabo autem putat[5] turrim Neoptolemi sitam esse ad ostium Tyrae, itaque et secundum auctorem peripli et secundum Strabonem illa abest nongenta stadia ab ostio Istri. Minime tamen cum his computationibus consentit Artemidorus. Anonymus enim peripli auctor a Tyra usque ad Cremniscos esse viam ducentorum et quadraginta stadiorum tradit, Artemidorus[6] vero intervallum bis tantum esse vult, h. e. quadringentorum octoginta stadiorum. Si quis igitur etiam ea quae in periplo[7] sequuntur ab Artemidoro petita esse[8] putat, statuendum

1) Anon. et Arriani Per. l. l. (60 + 40 + 60 + 120 stadia).

2) cf. adn. 1.

3) cf. Neumann, Die Hellenen im Scythenlande p. 352 adn. 3.

4) Secundum Anonymi periplum (Mueller G. Gr. min. I, p. 418 § 63).

5) VII, 3, 16. C. 306.

6) Mueller G. Gr. min. I, p. 418 § 63.

7) Mueller G. Gr. min. I l. l.

8) cf. Mueller G. Gr. min. I, p. 419, § 63 adn. et Anonymi (vulgo Scymni Chii) orbis descriptio adn. ad v. 797 ap. Mueller G. Gr. min. I, p. 229.

ei est, Artemidorum totam viam ab Istro usque ad Tyram non minus mille ducentorum sexaginta stadiorum esse tradidisse, cum Strabo nongenta stadia esse doceat. Iam constat Strabonem hoc non petivisse ex Artemidoro; accedit, quod ille in hac parte orae describenda, ut supra dictum est, nequaquam magna utitur diligentia, cum sciamus, Artemidori diligentiam, imprimis in numeris stadiorum enotandis, maximam fuisse.[1]

Arrianus tradit[2] totam oram inde ab eo Istri capite, quod maxime ad septentrionem spectat, usque ad portum Isiacorum desertam esse et nomine carere, atque ne Strabo quidem ullius loci nomen affert usque ad Tyram. Artemidorus[3] vero hanc oram admodum accurate describit et quoad fieri potest, rationem habet gentium prope habitantium; Strabo ab ostio Istri sine mora transit ad ostium Tyrae. A meridie praeter turrim Neoptolemi et oppidum Hermonactis[4] in Tyram invehitur atque pervenit ad urbem Niconiam,[5] deinde Ophiusam,[6] ad urbem e regione illius sitam. In duobus, quos ante oculos habebat Strabo, fontibus de distantia horum oppidorum ab ostio Tyrae diversa tradebantur; in altero viam esse centum et quadraginta, in altero centum et viginti stadiorum scriptum erat. Quam difficultatem ita removere

---

1) Marcian. epit. peripl. Menipp. Geogr. Gr. min. rec. Mueller I, p. 566. *Ἀρτεμίδωρος δὲ ὁ Ἐφέσιος γεωγράφος κατὰ τὴν ἑκατοστὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα γεγονὼς* (104—101 a. Ch. n.) — *τῆς μὲν ἀκριβοῦς γεωγραφίας λείπεται, τὸν δὲ περίπλουν τῆς ἐντὸς Ἡρακλείου πορθμοῦ θαλάσσης καὶ τὴν ἀναμέτρησιν ταύτης μετὰ τῆς προσηκούσης ἐπιμελείας ἐν ἕνδεκα διεξῆλθε βιβλίοις, ὡς σαφέστατον καὶ ἀκριβέστατον, περίπλουν τῆς καθ' ἡμᾶς ἀναγράψαι θαλάττης.*

2) Ap. Mueller Geogr. Gr. min. I, p. 297.

3) Anon. Peripl. ap. Mueller G. Gr. min. I, p. 418 § 63.

4) Anon. Peripl. l. l. cf. Ptol. III, 10.

5) Anon. Peripl. l. l. *Νικώνιον*.

6) Alterum eius nomen erat „Tyras." Plin. h. n. IV, 26 urbem recentiore tempore ita nominatam esse tradit.

conatur Neumann,[1] ut coniciat, postea sedem urbis Ophiusae mutatam eamque propter locum et caelum parum salubre translatam esse in locum altiorem et magis ad meridiem spectantem; sic factum esse, ut Strabo centum et quadraginta stadia apud Ephorum, centum et viginti apud recentiores scriptores inveniret. Duo illi peripli,[2] quorum in utroque auctores ab septentrione ad meridiem versus progrediuntur, habent minorem numerum.

Exeunte paragrapho Strabo mentionem facit insulae Leucae, quam quingenta stadia ab ostio Tyrae abesse dicit;[3] re vera distantia multo est minor. Anonymus[4] peripli auctor quadringenta stadia eam abesse scribit, sed hic quoque numerus nimius est. Videmus, ne hic quidem auctorem, quo utitur Strabo satis magnam praestare diligentiam. Iam superiore loco Strabo[5] ipse satis diverso modo exposuit, ubi sita sit illa insula.

Ut ora ab Istro usque ad Tyram pertinens, ita etiam ea, quae est inter Tyram et Borysthenem parum accurate describitur a Strabone. De distantia locorum semel tantum loquitur, adnotans, a Tyra ad Borysthenem esse viam sexcentorum stadiorum. Quomodo ad hanc computationem pervenerit cum aliqua probabilitate sic explicari posse videtur. De singulorum locorum intervallis in fontibus suis eadem invenit, quae legimus in Arriani[6] et Anonymi[7] auctoris periplo. Secundum illum a Borysthene usque ad sinum, qui vocabatur *λιμὴν Ἰσιακῶν* erat via quadringentorum quadraginta stadiorum, secundum hunc inde usque ad Niconiam trecentorum stadiorum. De his septingentis et quadraginta stadiis

---

1) Neumann, Hellenen im Scythenlande p. 358 adn. 2.

2) Mueller Geogr. Gr. min. I, l. l. cf. Neumann l. l. p. 360 adn.

3) II, 5, 22. C. 125.

4) Ap. Mueller Geogr. Gr. min. I, p. 419 § 65.

5) cf. adn. 3, p. 42.

6) Ap. Mueller G. Gr. m. I, p. 397 § 31.

7) Ap. Mueller, l. l. p. 417 § 61.

Strabo centum et quadraginta sibi deducenda esse putat, cum Niconiam centum et quadraginta stadia adverso flumine ab ostio Tyrae abesse credat.[1] In hac computatione non reputat, in fonte suo auctorem a septentrione ad meridiem provehi.[2] Primo nominat in § 17 Strabo Borysthenem, post hunc Hypanin, qui magis ad occidentem solem situs[3] minoris est momenti. Ad illum sita erat urbs Olbia, colonia Milesiorum, secundum Strabonem ducenta, secundum Anonymum peripli auctorem[4] ducenta et quadraginta stadia a mari distans. Hoc loco scriptor relicta topogrophica orae descriptione duabus paragraphis quae sequuntur, tractat gentes regionum illarum et exponit, qualis ibi sit natura caeli.

De ipsa ora Strabo satis breviter disputavit, nihil fere praeter ostia Istri, Tyrae, Borysthenis commemoravit, ne haec quidem satis accurate illustravit. Vel hanc ob causam descriptionem illam petitam esse non posse ex periplo Artemidori, supra iam dictum est; accedit, quod numeri intervalla locorum significantes magnopere inter se differunt. Saepissime vero Strabo consentit cum periplo Anonymi auctoris, cuius verba saepe sunt referenda[5] ad Scymnum, qui sua hausit ex Ephoro. Quae cum ita sint, credat quis, Strabonem quoque Ephoro usum esse auctore, atque haec coniectura eo confirmatur, quod illum Ephori descriptionem eius orae partis, qua Ister in mare influit, ante oculos habuisse constat; laudatur enim diserte Ephorus in hac parte.[6]

Quae Strabo de gentibus illarum regionum exponit, ex sua ipsius scientia addidisse videtur, praeterquam quod Posidonium

1) § 16, C. 306.

2) A Niconio usque ad Tyram secundum Anonymum, qui in describendo a septentrione ad meridiem progreditur, via est triginta stadiorum. cf. Neumann l. l. p 360 adn.

3) cf. Strabo II, 4, 14. C. 107.

4) Ap. Mueller G. Gr. min. I, p. 407. cf. Herod. IV, 78.

5) Neumann l. l. p. 358.

6) Strabo VII, 3, 15. C. 305.

eum sequi probabile est in describendis Rhoxolanis,[1] quos putat sedes habere omnium maxime ad septentrionem spectantes. Certe satis incommode narratio de bello ab Rhoxolanis gesto conexa est cum antecedentibus, atque similia infra[2] narrantur ex Posidonio. Ipse Strabo addit descriptionem armorum et victus, quo in pace utantur.

Paragrapho 18 qualis fuerit caeli natura inter Borysthenem et Maeotidem exponere incipit. Meliorem secutus esset ordinem, si prius topographice descripsisset hanc regionem; tum enim non coactus esset eadem repetere in paragrapho insequenti, qua descriptio satis accurata nobis proponitur. Verisimile est, eum ea, quae exponuntur in § 18 sic conexa invenisse cum antecedentibus. Iam loco superiore[3] de caelo huius regionis disputavit; narrat ibi idem de imperatore Mithradatis, quem hic Neoptolemum appellat, atque hic etiam vitis fit mentio.[4] Quod denique narrat de hydriis gelu diruptis illic Eratosthenem tradentem facit,[5] atque omnino ea, quae de natura caeli illius regionis exponit, ex Eratosthene petivisse videtur. Ipse Strabo nonnulla adiungit verba, quae hoc loco omnino apta non esse unusquisque sentit: *Ἀτέας δὲ δοκεῖ κ. τ. λ.*

In sequentibus Strabo redit ad ea, quae initio paragraphi 17 exposuit atque oram topographice describere pergit. Mirum est, quod hanc partem accuratissime describit, cum eam, quae est inter Istrum et Borysthenem parum accurate ab eo tractatam esse viderimus. Ex stadiorum numeris frequenter allatis et ex tota

1) cf. Dittenberger syll. inscr. Graec. I, p. 373, 15.

2) Strabo VII, 4, 3. C. 309.

3) II, 1, 16. C. 73.

4) Eiusmodi observationes ad plantarum et animalium naturam pertinentes saepe invenimus apud antiquos. cf. Berger, die geogr. fragm. des Eratosthenes p. 184.

5) Berger, Erat. p. 183 fr. III A 13. Strabo II, 2, 16. C. 74.

describendi ratione perspicuum fit, eum fonte usum esse libro in peripli modum conscripto atque cum Strabo et Anonymus peripli auctor[1] plane consentiant inter se, facile concludimus, eos eodem usos esse fonte. Infra verba Strabonis et peripli inter se opposita leguntur, ita ut nihil mutatum sit in verbis peripli, in quo descriptio procedit a meridie ad septentrionem:

Strabo VII, 3,19 C. 307 s.	Anon. Peripl.[2]
εἶϑ' ὁ Ἀχίλλειος	ἀπό δέ τοῦ ἀκρωτηρίου
δρόμος ἁλιτενὴς	Ταμυράκης παρήκει ὁ
χεῤῥόνησος· ἔστι	δ' Ἀχίλλειος δρόμος,
γὰρ ταινία τις	ὅπερ ἐστὶν ἠὼν (τουτέστιν
ὅσον χιλίων	αἰγιαλὸς) σφόδρα μακρὰ
σταδίων μῆκος ἐπὶ	καὶ στενὴ διήκουσα τὸν
τὴν ἕω, πλάτος δὲ	τρόπον ἐπὶ σταδίους ͵ασʹ,
τὸ μέγιστον δυεῖν	μίλια ρξʹ,
σταδίων ἐλάχιστον	τὸ δὲ πλάτος ἔχουσα
τεττάρων πλέθρων,	τετράπλεθρον — —
διέχουσα τῆς ἑκατέρω-	ἀφέστηκε δὲ
θεν τοῦ αὐχένος ἠπείρου	τῆς ἠπείρου
σταδίους ἑξήκοντα ἀμμώ-	σταδίους ξʹ, μίλια ηʹ.
δης, ὕδωρ ἔχουσα ὀρυκ-	κατὰ μέσον δὲ αὐτῆς
τόν. κατὰ μέσην δ'ὁ	αὐχὴν ἰσθμοειδὴς
τοῦ ἰσθμοῦ αὐχὴν ὅσον	(τουτέστι στενώδης) τῇ
τετταράκοντα σταδίων·	ἠπείρῳ (ἤτοι τῇ γῇ)
τελευτᾷ δὲ πρὸς ἄκραν	συνάπτει ἐπὶ σταδίους
ἣν Ταμυράκην καλοῦσιν.	μʹ μίλια εʹ, γʹ, διήκων
	τὸ μῆκος.

Neque Strabo neque Anonymus peripli auctor hanc oram oculis viderunt; in peripli verbis notandum est, auctorem eius

1) Ap. Mueller Geogr. Gr. min. I, p. 416 § 57 s.
2) Ap. Mueller Geogr. Gr. m. I, p. 416 § 57 s.

et verba Arriani et Strabonis, cuius numeros accurate sequitur, explicare studere videri. Sic ille, cum dicit *ἀπὸ δὲ τοῦ ἀκρωτηρίου Ταμυράκης παρήκει ὁ Ἀχίλλειος δρόμος, ὅπερ ἐστὶν ἠὼν, τοῦτ' ἔστιν αἰγιαλὸς σφόδρα μικρὰ καὶ στενὴ κ. τ. λ.* explicare vult verba Arriani,[1] apud quem mentio fit *τοῦ Ἀχιλλείου δρόμου* sed sermo est de *ἠϊόνες*, atque Anonymi verba *κατὰ μέσην δὲ αὐτῆς* (h. e. *δρόμου Ἀχιλλείου*) *αὐχὴν ἰσθμοειδὴς (τουτέστι στενώδης) τῇ ἠπείρῳ (ἤτοι τῇ γῇ) συνάπτει* scripta sunt ad explicanda verba Strabonis, qui de eadem terrae lingua dicit *διέχουσα τῆς ἑκατέρωθεν τοῦ αὐχένος ἠπείρου σταδίους ἑξήκοντα* et eum locum, ubi lingua conexa est cum continenti terra, semper appellat *τὸν τοῦ ἰσθμοῦ αὐχένα.*[2]

Si Strabonis et Anonymi verba inter se opposita comparamus, apparet eos de natura et latitudine linguae illius et isthmi plane idem tradere; dissentiunt vero de longitudine stadii Achillei. Strabo eam mille fere stadiorum esse vult, sed vel hic numerus nimius est, nam ex Plinio,[3] qui de mensione multo accuratiore ab Agrippa cum Varrone communicata nos certiores facit, comperimus, eam sexcentorum quadraginta tantum fuisse stadiorum. Anonymus vero mille ducenta computat stadia a Tamyrace usque ad lucum Hecates. Huius, qui aberat a Borysthene ducenta stadia, Strabo non facit mentionem; videtur putavisse eum esse eundem atque lucum Achillis. Neumann[4] utrumque Varrone auctore usum esse statuit; hunc enim apud Plinium[5] eandem summam distantiae Borysthenis a Chersoneso Heracleotica tradidisse. Fontem, quo Strabo hic usus est, fuisse librum confectum in modum peripli accuratis stadiorum computationibus instructi

1) Ap. Mueller Geogr. Gr. m. I, p. 396 § 31 s.
2) Neumann l. l. p. 366 adn. 1.
3) Plin. h. n. IV, 12.
4) Neumann l. l. p. 371.
5) Plin. hist. n. IV, 24. 26.

supra dictum est. Sequentia,[1] in quibus Strabo ad Chersonesum Tauricam describendam transit, et quae ex eodem opere geographico petita esse manifestum est, confirmant coniecturam nostram. Ut supra dictum est,[2] imprimis Artemidorus apud homines antiquos notus erat propter accuratam distantiae locorum definitionem, atque ab eo petita esse, quae hoc loco apud Strabonem leguntur, veri est simile. Ad hanc coniecturam bene quadrat, quod Artemidorus in enotanda locorum distantia rationem habere solebat gentium prope habitantium.[3] Praeterea autem tota orae descriptio ita est comparata, ut aptissima sit in periplo: Ratio habetur locorum ad ancoras tenendas aptorum, adnotatur, quatenus navigiorum patiens sit mare, ubi sint insulae, vada, cautes, alia. Etiam eam ob causam nobis cogitandum est, Artemidoro auctore usum esse Strabonem, quod hic in ea quae sequitur orae parte describenda Ephesium secutus est.[4] Fere certum autem est, rem ita se habere, quod infra[5] diserte laudantur Artemidori verba. Hic Strabo Tyram a Chersoneso, quam ab omnium testimoniis discrepans Milesiorum esse coloniam contendit,[6] 4400 stadia abesse dicit; paullo accuratius Anonymus[7] peripli auctor 4420 numerat stadia. Varro, qui in definienda locorum distantia cum Artemidoro plane congruere videtur,[8] 3960 stadia esse tradit, quae differentia quadraginta stadiorum in ora illa parum nota et admodum discissa nihil valet. Non quod differunt, sed quod congruunt apud ambos auctores numeri memorabile est.

1) Strabo VII, 4, 1. 2. C. 308.
2) cf. p. 40 adn. 1.
3) Strabo VII, 3, 19. C. 308.
4) cf. J. C. Neumann, Strabon's Landeskunde von Kaukasien Lp. 1883.
5) VII. 4, 2. C. 308.
6) cf. Neumann, die Hellenen im Scythenlande p. 381.
7) Ap. Mueller Geogr. Gr. min. I, p. 418.
8) Neumann, die Hellenen im Scythenlande p. 385 adn.

Etsi singula optime describit Strabo, tamen quam incommode descriptionis partes sint conexae hic maxime apparet. Eam non ad ipsum Strabonem referendam, sed petitam esse ex periplo aliter adornato etiam hoc docet argumentum: Postquam sinum Carcinitem, qui a septentrione ad meridiem versus porrigitur,[1] descripsit, relinquit descriptionem orae occidentalis Chersonesi Tauricae atque tum demum ad eam redit, postquam mentio facta est urbis Chersonesi. Interponit satis bonam „paludis putridae“, quae vocatur, descriptionem, quae tamen neque cum iis quae antecedunt neque cum sequentibus ullam habet necessitudinem. Invenit eam sine dubio alio loco apud Artemidorum, quem a septentrione ad meridiem progredi notum est, atque hic inserit, ubi in describendo pervenit ad angustum paludis isthmum. Sic factum est, ut describendi tenor interrumperetur, atque satis incommode scriptor ad Artemidori expositionem redit, ubi oram occidentalem describere pergere vult: „Si evehimur, ad sinistram situm est parvum oppidum et alius Chersonesitarum portus.“ In verbis antecedentibus sermo erat de palude putrida, hic intellegendum est: „Si evehimur e Carcinite etc.“ Clarior denuo fit oratio mentione facta Chersonesi Heracleoticae. Excepto enuntiato postremo, quod addit ipse Strabo, tota paragraphus 2 ab Artemidoro petita est.[2] Altera insequentis paragraphi pars[3] ex Posidonio hausta est, in altera redit ad Artemidorum, pergens, ubi eum exeunte paragrapho superiore reliquit h. e. ubi mentio fit urbis Ctenuntis. Post duo enuntiata ab Artemidoro petita denuo ipse inserit adnotationem, quam etiam loco superiore[4] invenimus; hanc Berger[5] magna cum probabilitate ad Eratosthenem referendam

1) Quae fuerit Artemidori de Tanai sententia v. ap. I. C. Neumann l. l. p. 331.
2) Dittenb. syll. p. 373.
3) Dittenb. syll. p. 372. Mueller fragm. hist. Graec. III, p. 264.
4) II, 5, 22. C. 124. 125.
5) Berger Erat. p. 332 s. cf. praeterea I. C. Neumann l. l.

esse demonstravit. Mirum est, quod in distantia utroque Strabonis loco definita mille stadiorum differentia exstat.[1] Denique Strabo duo adjungit enuntiata, quorum in priore mentionem facit montis Trapezuntis, in altero nonnulla affert de Bosporo Cimmerico, quae non multo ante[2] Posidonium tradentem fecit et quae postea[3] rursus commemorat.

Quarta paragrapho denuo sequitur geographicum Artemidori opus.

Quae usque ad hunc locum accurate in peripli modum elaborata apud Strabonem leguntur, ab Artemidoro petita esse statuere nobis licet non modo ex argumentis adhuc allatis et inde quod fragmentum Artemidori invenimus, sed etiam praecipue propterea, quod quin tota fere paragraphus insequens ab eo profecta sit, omnino dubitari nequit, quamquam nomen Artemidori non affertur. Neumann[4] enim argumentatione admodum dilucida et probabili usus demonstravit, in loco prorsus nostro simili libri XI paragraphos 2—9 maxima ex parte petitas esse ex Artemidoro. Quo plenior sit disputatio mea, hi loci infra inter se oppositi leguntur:

VII, 4,5. C. 310.	XI, 2,1. ss. C. 492 sq.
διαιρεῖ δὲ ὁ στενωπὸς	*ὅρων ὑπόκειται*
*οὗτος (*sc. *ὁ Κιμμερικὸς*	*τῆς Εὐρώπης καὶ*
βόσπορος) τὴν Ἀσίαν ἀπὸ	*τῆς Ἀσίας ὁ Τάναϊς*
τῆς Εὐρώπης, καὶ ὁ	*ποταμός — . φέρεται*
Τάναϊς ποταμὸς, καταντι-	*μὲν οὖν ἀπὸ τῶν*
κρὺ ῥέων ἀπὸ τῶν ἄρκτων	*ἀρκτικῶν μερῶν*
εἴς τε τὴν λίμνην καὶ τὸ	*. . . τὰς μὲν ἐκβολὰς*
στόμα αὐτῆς· δύο δ' ἔχει	*ἴσμεν (δύο δ' εἰσὶν εἰς*

1) Berger, Erat. p. 332. adn. 1.
2) VII, 2, 2. C. 293.
3) XI, 2, 5. C. 493.
4) I. C. Neumann l. l. p. 328 ss.

τὰς εἰς τὴν λίμνην ἐκ-	*τὰ ἀρκτικώτατα μέρη*
βολὰς διεχούσας ἀλλήλων	*τῆς Μαιώτιδος, ἑξήκοντα*
ὅσων σταδίους ἑξήκοντα.	*σταδίους ἀλλήλων διέχουσαι) . . .*
ἔστι δὲ καὶ πόλις ὁμώνυ-	*ἐπὶ δὲ τῷ ποταμῷ καὶ τῇ*
μος τῷ ποταμῷ, μέγιστον	*λίμνῃ πόλις ὁμώνυμος οἰ-*
τῶν βαρβάρων ἐμπόριον.	*κεῖται Τάναϊς — ἐμπόριον*
	κοινὸν τῶν τε Ἀσιανῶν καὶ
	τῶν Εὐρωπαίων νομάδων
	πρόκειται δ' ἐν ἑκατὸν σταδίους
ἐντεῦθεν (ab introitu	*τοῦ ἐμπορίου νῆσος Ἀλωπεκία*
Maeotidis) *δ' εὐθυ-*	*κατοικία μιγάδων ἀνθρώπων . . .*
πλοίᾳ μὲν ἐπὶ τὸν Τάναϊν	
καὶ τὴν κατὰ τὰς ἐκβολὰς	
νῆσον στάδιοι δισ-	*διέχει δὲ τοῦ*
χίλιοι διακόσιοι,	*στόματος τῆς Μαιώ-*
μικρὸν δ' ὑπερ-	*τιδος εὐθυπλοοῦσιν*
βάλλει τοῦ ἀριθ-	*ἐπὶ τὰ βόρεια δισ-*
μοῦ τούτου πλέον-	*χιλίους καὶ διακοσίους*
τι παρὰ τὴν Ἀσίαν.	*σταδίους ὁ Τάναϊς, οὐ πολὺ*
	δὲ πλείους εἰσί παραλεγομένῳ
	τὴν γῆν.

In libro XI. Strabo et aliorum et suas sententias Artemidori verbis inseruit; hic sine ullo additamento illius descriptionem repetit. Quamquam paullo ante dixit, ostium Maeotidis appellari Bosporum Cimmericum, idem repetere non veretur; hoc inde explicandum est, quod hoc loco novam Artemidori descriptionis partem, quae initium capit a Maeotide, sine ulla mutatione repetit. Latitudinis Maeotidis septuaginta stadiorum item mentio fit in libro XI., paludis ambitum esse novem milium stadiorum iam loco superiore[1] exposuit. Forma et magnitudo paeninsulae cum Peloponneso comparantur, atque tum descriptio topographica relin-

1) Strabo II, 5, 23. C. 125.

quitur. In paragrapho insequenti enumerantur oppida nonnulla, quae in bello a Mithradate gesto alicuius erant momenti.[1]

Orae occidentalis maris Pontici restat adhuc ea pars, quae est inter Istrum et Byzantium, quam Strabo describit in capite VI. Initium capit ab Istro, nunc igitur a septentrione ad meridiem versus progrediens. Hoc quoque totum caput ab iis quae antecedunt et sequuntur satis clare eo discernitur, quod scriptum est in modum peripli accurate confecti. Memorabile est quod Strabo cum periplis[2] plane consentit de descriptione Salmydessi, de qua idem apud Scymnum[3] invenimus. Supra ostendimus, in iis partibus, quibus Strabo oram maris Pontici describit in modum peripli, in quo accurate enotantur locorum intervalla, eum sequi Artemidorum. A meridie item Artemidorum secutus est usque ad Byzantium, quod ipse dicit,[4] maxime igitur est verisimile, eum in describenda ea orae parte, quae inter illas sita est, eodem uti auctore.[5]

1) Dittenberger syll., p. 372.
2) Ap. Mueller Geogr. Gr. m. I, l. l.
3) v. 727 ap. Mueller Geogr. Gr. m. I, p. 224.
4) Strabon VII, fragm. 57.
5) cf. Mueller G. G. m. I, p. 225 adn. ad 728.

Vita.

Natus sum Carolus Heilmann, Borusso-Hassus, Altazellae die XVIII mensis Oct. anni h. s. LVII, patre Johanne, matre Carolina, e gente Rupp. Matrem praematura morte mihi ereptam esse, valde doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis in puerorum ludo imbutus in gymnasium Hanoviense receptus sum. Maturitatis testimonium assecutus Solitariae per sex menses seminarium praeceptorum frequentavi. Testimonio „pro schola" munitus magister fui per tres annos in urbe, cui est nomen Hofgeismar. Ad persequenda studia auctumno a. LXXXI Berolinum me contuli, ubi universitatem Fridericam-Guilelmam per unum semestre frequentavi. Docuerunt me vv. ill. Weiss, Steinmeyer, Messner, Plath, Huebner. Deinde Halas transmigravi, ubi per quinque semestria scholis interfui virorum illustrissimorum Schlottmann, Riehm, Jacobi, Beyschlag, Kaehler, Hering, Koestlin, Tschackert, Duemmler, Neumann, Schmidt, Dittenberger, Krohn, Thiele, Haym, Kirchhoff. Seminariorum philosophici, historici, theologici sodalis fui. Ad exercitationes historicas et geographicas vv. dd. Neumann et Kirchhoff benigne aditum mihi permiserunt. Quibus omnibus viris optime de me meritis debitam semper habebo gratiam.

V i t a.

Natus sum Carolus Hellmann, Borussus-Hassus, Allendorfiae die XVIII mensis Oct. anni h. s. LVII, patre Johanne, matre Carolina, e gente Rupp. Matrem praematura morte mihi ereptam esse, valde doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis in patrio oppido imbutus in gymnasium Hanoviense receptus sum. Maturitatis testimonium assecutus Schlüchterniae per sex menses seminarium praeceptorum frequentavi. Testimonio „pro schola" munitus magister fui per tres annos in urbe, cui est nomen [illegible]. Ad persequenda studia autumno a. LXXXI Berolinum me contuli, ubi universitatem Fridericam-Guilelmam per unum semestre frequentavi. Docuerunt me vv. ill. Weiss, Steinmeyer, Messner, Plath, Huebner. Deinde Halas transmigravi, ubi per quinque semestria scholis interfui virorum illustrissimorum Schlottmann, Riehm, Jacobi, Beyschlag, Koehler, Hering, Koestlin, Tschackert, Duemmler, Neumann, Schmidt, Dittenberger, Krohn, Thiele, Haym, Kirchhoff. Seminariorum philosophici, historici, theologici sodalis fui. Ad exercitationes historicas et geographicas vv. dd. Neumann et Kirchhoff benigne aditum mihi permiserunt. Quibus omnibus viris optime de me meritis debitam semper habebo gratiam.